

28. inquit Moyses . Erit vita tua quasi pendens ante te . Glos. interli. Erit vita tua, id est Christus, qui est via, veritas, & vita, quasi pendens in cruce in conspectu tuo. Et Treno. 3. Recordare inquit, paupertatis, & transgressionis meæ & abinthii, & fellis. Vnde Apostolus Paulus ad Hebræ. 12. cap. ait, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspirantes in auctore fidei, & consummatorem Iesum Christum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. Admonet ad idem saluator noster nedum verò dicens. Videre manus meas, & pedes sed efficacius factò. Luc. 24.

Ecce enim non satis visum est domino pro nobis in carne mortali acerbissima passione consummari, nisi etiam post victoriam, postquam omnia consummata sunt, nihil ex sua parte restabat in finem usque omnia operaretur, quibus illata passio à nobis susciperetur, & sic nobis proficeret ad salutem, resurgens namque à mortuis, corpus glorificatum, ab omni defectu naturæ secundum exigentiam gloriæ alienum resumptum ex speciali dispensatione seruauit manuum, pedum, ac lateris vulnera non solum ut in humanitate patrem in terpellans pro nobis ostendens vulnerum suorum cicatricibus, quantum pro humana salute laborauit ei perpetuo demonstraret, mirorque & ineffabili nobis ordine eum, qui nil vnquam potest obliuisci, qui semper misereri paratus est, abique intermissione admoveat, quæ cogerit hominibus miserari, quorum pariceps naturæ, doloris, & passionis, ipse Dei filius effectus sit, pro quibus ipse confixus mortis imperium moriendo prostrauerit. ut dicit Beda super Lucam. Nec ideo solum, ut electi perpetua beatitudine suscepti videntes in domino, ac Deo suo signa passionis nunquam illi gratias agere desistant, pro cuius morte se viuere cognoscunt, ut idem ait. Imò ut accidit tale gaudium augmenteretur, cognoscentes se tanti fuisse apud summum omnium creatorem, pro quibus talia sustinere decreuerit. Sicque fiat, quæ voce torius

ecclesiæ cantat propheta in psal. Miseri cordias tuas domine in eternum cantabo Sed ideo maxime, quatenus eo ipso erudiamur, quod sicut redemptio nostræ signa in suo corpore redemptor indelebiter impressit, ut descriptis nobis in manibus suis nulla vnquam obliuione deleeretur, ut loquitur per Esaiam. 49. Ita & nos passionis eius beneficia, doctrinas, & exempla sine vlla obliuione cordibus nostris arctissime insigamus. Propter quod etiam memoriale admirabile passionis suæ, summum, atque sacrosanctum eucharistiæ sacramentum instituit, atque in memoria eius frequentari præcepit, ut sic semper in nobis mortis, ac vulnerum eius memoria, & fructus pariter inuouetur. O ineffabilem diuinæ pietatis misericordiam, quæ nunquam cessat, nostram operari salutem. Ecce delicta nostra portauit, ac sanguine proprio lauit, morte sua mortem vicit. Dato animæ suæ precio, nos à seruitute, ac durissima captiuitate diabolica liberauit. Omnibus consummatis, tertia die resurrexit à mortuis ad gloriam, passionem quidem finiuit, sed non paternam sollicitudinem. Non delebitur nostra inscriptio in manibus, pedibus, & latere. Nobiscum denique manet in sacramentali specie, ut sic nos & sui semper memores concipiamus salutem quæ cõtulit, atque passionis suæ fructus sibi configurati vberime quæmur.

Et reuera nihil ita nobis accommodum est ad proficiendum in virtutibus vincendum vitia, sicut passionis Christi memoria. Hinc Paulus 1. Cor. 2. Non iudicauit me scire aliquid inter vos nisi Christum & hunc crucifixum. Beatus quoque Bernardus ex iugi memoria passionis Christi se profecisse plurimum profiteretur Hinc super Can. ser. 44. commendatissime meditatione mortis Christi, & passionum eius, quibus nos perditos reparauit, dicit in eis sapientiam consistere, & scientiæ plenitudinem, perfectionem iustitiæ, diuitias salutis, & copias meritorum. Et subdit. Hæc mea interim sublimior philosophia, scire Iesum, & hunc cruci

Nihil nobis ita adesse proficiendum in virtutibus quæ memoria passionis Christi.